



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

263. An absentes, præciso privilegio vel consuetudine legitimâ validè ferant suffragium per literas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

Quaestio 263. Vtrum absentes, praeciso privilegio vel consuetudine legitimâ, valide ferant suffragium per literas?

Respondeo negativè, *cit. c. si quis iusto*, & ibi gl. & DD. omnes teste Pass. contra Azor. & Portel. apud eundem censentes, dare suffragium per literas obsignatas non esse contra jus commune. Verum nequidem consentiente capitulo id fieri posse, censent Barb. *ad c. si quis iusto*, & *cit. n. 108*. Castel. *c. 5. n. 65*, & alii.

2. Quinimo id fieri nequit, etiam si nullus ex capitulo pro absente impedito procuraturam suscipere velit; neque etiam capitulum consentiat, ut Procurator externus constituitur. *cit. c. si quis iusto*. Pass. *n. 35*, contra Host. *de elect. n. 88*, de forma enim scrutini est, ut vota dentur sigillatim & secretò; tales autem literæ deberent imprimis legi, & tanquam propriâ manu scriptæ cognosci à Capitulo, Engels hic *n. 10*. Verumtamen dicta intelligenda sunt de iis electionibus, in quibus accuratè servanda est forma scrutini, præscripta in *c. quia propter*, in aliis enim v. g. regularium quorundam, quæ fiunt per schedas obsignatas in urnam coniectas, potest absens, uti & infirmus talis suffragium suum ita scriptum ad capitulum mittere, Laym. *ad c. si quis iusto. n. 3*, & ex eo Pirh. *hic. n. 151*.

Quaestio 264. Quando absens suffragium suum ferre possit per Procuratorem?

Respondeo: si adsint sequentes conditiones, primò si verè absens est (qualis in præsentia materia censetur is, qui taliter est extra locum electionis, ut Scrutatores non teneantur eum accedere personaliter pro recipiendo suffragio juxta cuiusque collegii leges vel consuetudines. Pass. *n. 36*.) Et si in negotiis aliis possit quis etiam non impeditus loco sui constituere Procuratorem. *l. 1. ff. de procurat. in electionis tamen negotio expressè cautum est contrarium c. quia propter*: Quod tamen, quia constitutum in favorem habentium jus eligendi, poterit ex consensu capituli hic & non renunciantis huic favori, etiam non impeditus per Procuratorem ferre suffragium suum. Abb. *in c. quia propter. n. 1*. Barb. *cit. c. 19. n. 110*. Pass. *loc. cit. n. 42*. Pirh. *n. 146*.

2. Secundò si verè impeditus sit, v. g. gravi infirmitate, vel metu ob capitales inimicitias, detentione violentâ, vocatione ad altius tribunal, & c. gl. *in c. quia propter. v. venire*. Barbof. *loc. cit. n. 109*. Pass. *n. 40*. durante hoc impedimento non tantum pro eo tempore, quo Procuratorem instituit, sed etiam quo facienda est electio. Castel. *cit. ut. c. 5. n. 91*. Pirh. *n. 146*. Pass. *loc. cit.* Absente manente pro eo tempore in eo statu, ut si præsens esset, posset eligere, v. g. non incidente in excommunicationem, suspensionem, maniam & c. Tholo. *de elect. c. 6. n. 8*. Absurdum enim est illos admitti, quorum repellerentur auctoritates, *c. licet*, & *c. re restibus*. Porro, si impedimenti legitimitas capitulo non constat, probari potest juramento. Pass. *n. 41*. Mascard. *de prob. concl. 884. n. 2*. Scraph. *de privileg. jurament. privil. 55*. apud Barb. *in c. quia propter. n. 38*. Præstante hoc juramento, vel ipso principali, & faciente de hoc constare in ipso instrumento procura, vel ejus procuratore, habente speciale mandatum à Principali jurandi in animam suam. Pass. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n. 110*. Host. *loc. cit. n. 8*. Quod tamen juramentum, ubi capitulum remisit (uti potest. Pass. *n. 42*. Barb. *loc. cit.* Innoc. *in c. quia propter. & ibi alii*) non potest quis post electionem

probare, quòd absens non fuerit impeditus; cum collegium (quod, uti dictum, potest etiam non impediti admittere procuratorem) renunciarit quoque in hoc juri suo. Pass. Barb. & alii *ll. cit.*

Quaestio 265. Vtrum potestas eligendi in absentia per Procuratorem competat etiam regularibus?

Respondeo affirmativè, modò id iis vetitum non sit speciali statuto contrario (uti contingit in ordine Prædicatorum teste Pass. *c. 10. n. 48*.) Garc. *de benef. n. 5. c. 4. n. 20*. Tamb. *tom. 1. d. 5. q. 4. n. 6*. Lezan. Barb. & c. apud Pass. Nihilominus postquam Trid. *sess. 25. c. 8*. statuit, ut electio in regularibus sit secreta, absens non poterit jam amplius eligere per procuratorem constitutum cum speciali mandato eligendi determinatam personam; quia talis Procurator non potest eligere, quin publicetur eligentis nomen. Garc. *loc. cit. n. 200*. referens ita dictum à S. Congregatione. Tamb. *loc. cit. num. 6*. vide Card. de Luca *in annot. ad concil. Trid. discursu 37*.

Quaestio 266. Qualis debeat esse Procurator?

Respondeo primò generaliter, procuratorem debere habere omnes conditiones, quæ de ceterò requiruntur in electore præsentè; adeoque in electione Ecclesiastico non posse esse laicum, vel alterius Ordinis, non excommunicatum & c. Pass. *n. 44*. tradit.

2. Respondeo secundò specialiter, illum debere esse unum è collegio. Pass. *n. 35*. juxta *c. quia propter*: quamvis nemo è collegio teneatur eam procuram admittere. gl. *in c. quia propter. §. illud. Pass. n. 43*. Barb. *loc. cit. n. 112*. quia nemo invitus Procuratoris munus suscipere cogitur *h. invitus. c. de procurat.* Potest nihilominus etiam institui procurator, qui non est de collegio, & hunc admittere potest collegium, modò aliàs idoneus sit. *c. si quis iusto. h. r. in 6. Abb. inc. quia propter. §. illud. n. 2*. Barb. *loc. cit. n. 104*. Pass. *n. 43*. non tamen tenerur, ne quidem in casu, ubi nullus de collegio procuram vult suscipere. A. A. *idem*. In actibus enim etiam aliis gerendis per universitatem seu collegium, non tenerur illud admittere procuratorem externum, Jo. And. *in c. quod alicui. de reg. juris in 6. n. 17*. ad eoque hoc sibi imputare debet absens elector, quòd nullum invenire possit, qui velit esse Procurator. gl. *in c. quia propter. §. illud. v. venire*. Si tamen id fieret per fraudem vel conjurationem, tum absens conqueri posset de injuria & contemptu, & perere, ut rescindatur electio. Tholo. *de elect. c. 6. n. 9*. cum omnis fraus ab electione longe abesse debeat. *c. cum dilectus. h. r.*

Quaestio 267. Quid agere vel non agere quòd electionem possit Procurator?

Respondeo primò: dum est de gremio electorum constitutus cum mandato generali, duo quidem suffragia ferre potest, unum suo, alterum principalis sui nomine: non tamen unum suo, & alium Principalis sui nomine eligere potest. *c. si quis iusto*. Barb. *loc. cit. n. 105*. Tambur. *loc. cit.* Pass. *cit. n. 43*. Et si sic divideret sua suffragia, utrumque suffragium est irritum, seu nihil ageret, eodem *c. si quis iusto. §. porro*. Verumque id ipsum est propter expressum hujus *c. textum*; etiam si sic dividens sua suffragia non peccaret in conscientia (in qua de ceterò tenerur eligere digniorem, non secus ac ipse illius principalis) dum nimirum isti duo, in quos dividit sua suffra-